(✠)

MISSÆ

PROPRIÆ SANCTORUM ORDINIS HOSPITALITATIS S. P. N. JOANNIS DE DEO,

A FRATRIBUS IN NOSTRATE CONGREGATIONE HISPANA COMMORANTIBUS EX INDULTO APOSTOLICO CELEBRANDÆ.

JUSSU R^{mi}. P. N. FR. ILDEFONSI A JESU, ET ORTEGA,

MINISTRI TITUL. S. INQUISIT. TRIBUNAL. CORDUVENSIS, Granatensis, ac Supremi Matritensis, Proto-Notarii Apostol. et Generalis Congregat. prediƈtæ Sacræ nostræ Religionis in hisce Regnis Hispaniarum Indiarum, atque Lusitaniæ, Typis primó demandatæ.

MEXIXI:
Ex Typographia D. Maria Fernandez de Jauregui, in via S. Dominici.
Anno Domini M. DCCCIII.

JANUARIUS.

DIE XXIV. JANUARII.

In Festo B. Virg. Mariæ, sub Titulo de *Pace*, Patronæ principalis, & Titularis Provinciæ Hispalensis.

Duplex 1. clas. cum Oct.

INTROITUS.

Psalm. 44.

VULTUM tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur Regi virgines post eam: próxime ejus adducèntur tibi in lætitia & exultatione. *Psalm.* Eructavit cor meum verbum bonum dico ego opera mea Regi.

℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEUS, qui salutis æternæ, Beatæ Mariæ Virginitate fecunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Titum.

Cap. 3. b.

CHarissime, Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei: non ex operibus justitiæ, quæ fécimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ut justificáti gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ: in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale Ps. 44. Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis.

℣. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea Regi: lingua mea cálamus scribæ velociter scribentis. Alleluja.

luja, alleluja. ℣. Post partum virgo inviolata permansisti: Dei genitrix intercede pro nobis. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelij secundum Lucam.

Cap. 2. b.

IN illo tèmpore; Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus ostendit nobis. Et venèrunt festinantes: & invenérunt Mariam, & Joseph, & infantem pòsitum in præsepio. Videntes autem cognovèrunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt mirati sunt: & de his, quæ dicta erant á pastóribus ad ipsos. Maria autem conservábat òmnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum, in òmnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

Dicitur Cred. *et per totam Oct.*

Offertorium. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: quia exte ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

Secreta.

MUnéribus nostris, quæsumus Dómine, precibusque suscéptis; & cælestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum.

Præfatio prop. de B. V. M. *& te in Festivitate.*

Communio. Beata vìscera Mariæ Virginis, quæ portaverunæterni Patris Filium.

Post Communio.

HÆc nos communio Domine, purget á crìmine: & intercedente Beate Virgine Dei genitrice Maria, cælestis remedij faciat esse consortes. Per eumdem Dominum nostrum.

Infra Octavam dicitur eadem Missa, *cum secunda Oratione de Spiritu Sancto*: Deus qui corda, *& tertia*: Ecclesiæ tuæ, *vel* pro Papa.

DIE XXXI. JANUARIJ.

In Octava B. M. V. de *Pace.*

Duplex.

Missa ut in die Festi.

FE-

FEBRUARIUS.

DIE XXVIII. VEL XXIX. Februarij.

In Festo Translationis secundæ S. P. N. Augustini Episcopi Conf. & Eccles. Doctor. duplex.

Missa. *In medio Ecclesiæ.* de Comm. Doctorum, præter sequentes Orationes: & *dicitur Credo.*

ORATIO.

DEUS, qui transtulisti populum tuum per mare rubrum, & Sanctissimi Confessoris tui, & Doctoris Augustini Patris nostri corpus super marinos vortices transferri voluisti, & in loco tibi placito collocari: concede, quæsumus, illius precibus nos de morte ad vitam transire, cujus hodie Translatiónem celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus, múnera tuæ majestati oblata, per intercessionem Beati Patris nostri Augustini Confessoris tui, atque Pontificis, ad perpetuam nobis fac provenire salutem. Per Dominum nostrum.

Præfatio, ut in fine hujus Codicis.

Postcommunio.

SAcramenta salútis nostræ suscipientes: concede quæsumus omnipotens Deus, ut Beati Patris Nostro Augustini Confessóris tui, atque Pontificis, nos ubique oratio adjuvet; in cujus Translatione hæc tuæ obtúlimus majestati. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

MARTIUS.

DIE VIII. MARTIJ.

IN FESTO.

S. P. N. JOANNIS DE DEO

CONFES. ET FUNDATORIS ORDINIS. NOSTRI.

DUPLEX I. CLASSIS.

Introitus. Isai. 58. 7.

FRANGE esurienti panem tuum, & egenos, vagósque induc in domum tuam; cum videris nudum óperi eum, & carnem tuam ne despéxeris.

Psal. 40. 1. Beatus qui intelligit super egénum & pauperem: in die mala liberabit eum Dóminus. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui Beatum Patrem nostrum JOANNEM, tuo amore succénsum inter flammas innoxium incedere fecisti, & per eum Ecclesiam tuam nova prole fæcundasti; præsta ipsius suffragantibus meritis, ut igne charitatis tuæ vitia nostra curentur & remedia nobis æterna proveniant. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli. 1. *Cap.* 3.

FRatres, nolite mirari, si odit vos mundus. Nos scimus, quoniam transláti sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet

habet vitam æternam in semetipso manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.

Graduale. Eccl. 7. Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua.

℣. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.

Tractus Ps. 101. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur.

℣. *Ps.* 76. Pauper, & inops laudabunt nomen tuum Joannes: fecit Deus mirabilia in charitate tua.

* *Extra Quadrages. & in Officio per annum, & in Missis votivis dicitur Graduale ut in Festo Translationis 28. Nov.*

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 10.

In illo tempore: Quidam Legisperitus surrexit tentans Jesum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum sicut te ipsum. Dixitque illi: Recte respondisti, hoc fac, & vives. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Jesus dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo, præterivit. Similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit

secus

est, & appropians, alligavit vulnera ejus: infundens oleum, & vinum, & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit: & altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illli, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac similiter. Credo.

Offertorium. *Ephes. 5. 12.*

AMbulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.

Secreta.

OBlationes nostras tibi Domine Deus commendent Beati Joannis benigna suffragia, ut per hæc Sacrosanta mysteria in nobis charitas augeatur, quæ cor illius mirabiliter inflammavit. Per Dominum nostrum.

Præfatio de Tempore.

Communio.

BEneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.

Postcommunio.

CÆlesti mensa refecti quæsumus Domine Deus noster, ut B. Patri Nostri Joannis Confessoris tui meriris, & imitatione, in charitate proficiamus, & promissa diligentibus præmia consequamur. Per Dominum nostrum.

✠ *Sacra Rit. Congregartio 5. Septemb 1739. annuente SS. P. N. die 11 ejusd. mensis, & anni: concessit, ut hæc Missa propria ab omnibus Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus ad nostras Ecclesias eadem die octava Martii confluentibus legi, ac celebrari possit.*

MAJUS.

DIE V. MAII.

In Conversione S. P. N. Augustini.

Duplex 2. clas.

Introitus. *Eccl. 15. d.*

IN medio Ecclessiæ aperuit os ejus: & implevit eum Tem-

Dominus spiritu sapientiæ & intellectus: stolam gloriæ induit eum Alleluja, alleluja. *Psalm.* 91. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo, Altissime. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEUS, qui hodiernam diem Beati Patris Nostri Augustini Confessoris tui, atque Pontificis mirabili Conversione decorasti: præsta quæsumus; ut sicut Ecclesiam tuam, propulsis erroribus protegit: ita corda nostra precibus suis contra malignos spiritus, tua gratia irrigante, defendat. Per Dominum.

Epistola. Lectio libri Sapientiæ, ut in die Festi 28. Augusti in hoc Codice.

Alleluja, Alleluja. ℣. *Eccli.* 45. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, Alleluja.

℣. Augustine lux Doctorum, firmamentum Ecclesiæ: malleus hæreticorum, summum vas scientiæ, pro tuis filiis roga Deum, quæsumus. Alleluja.

✠ Sequentia Sancti Evangelij secundum Mattheum.

Cap. 19. *d.*

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, quid secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum. centuplum accipiet, & vitam æternam posidebit. *Credo.*

Offertorium. Psalm: 91. Justus ut palma florebit: sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur, Alleluja.

Secreta.

SAncti Augustini Confessoris tui, atque Pontificis, quæsumus Domine, annua Conversionis ejus solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & no-

bis gratiæ tuæ dona concíliet. Per Dòminum.

Prefatio, ut in fine hujus Codicis.

Communio. Luc. 12. Fidèlis servus, & prudens, quem constítuit Dóminus: super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram. Alleluja.

Postcommunio.

DEus, qui ineffabili providentia B. P. Agustinum ab errórum tenebris ad lucem Evangelicæ veritatis adduxisti: da nobis, quæsumus, ut qui ejus hodie Conversiónem colimus, eodem præcánte, dona tuæ gratiæ sentiámus. Per Dominum nostrum.

AUGUSTUS.

DIE XX. AUGUSTI.

In Festo S. Bernardi Abbátis, Patroni principalis, & Títularis Provinciæ Terræ Firmæ.

Dupl. 1. clas. cum Oct. in sua Provintia.

Missa ut in Missali Romano: dicitur Credo, *& per totam Octavam.*

Infra octavam, dicitur eadem Missa cum secunda Oratione de S. Maria: Concede. *& Tertia:* Ecclessiæ, *vel pro Papa.*

DIE XXVII. AUGUSTI

Octav. S. Bernardi Abbat. Duplex.

Missa ut in die Festi, cum commemoratione Vigiliæ S. P. Agustini, de qua legitur ultimum Evangelium.

DIE XXVII. AUGUSTI.

In Vigilia S. P. N. Agustini.

Introitus. Ps. 131.

SAcerdótes tui, Dómine induant justitiam, & sancti tui exúltent: propter David servum tuum non avértas faciem Christi tui.

Psalmus ibid. Meménto Dómine David: & omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Gloria Patri. *Non dicitur.* Gloria in excelsis.

ORATIO.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut Beàti Patris Nostri Augustini Confessoris tui, atque Pontificis, quam prævenimus, veneranda

da solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum nostrum,

Secunda Oratio de S. Maria. Concede nos.

Tertia Ecclesiæ, *vel pro Papa.* Deus omnium.

Epistola: Lectio libri Sapientiæ: *Ut in Festo S. Bernardi Abbatis, xx. hujus, in Missali Rom.*

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma flórebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ℣. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Evangelium: Sint lumbi vestri præcincti: *ut in Communi Conf. non Pontif. primo loco.*

Offertorium. Ps. 88. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

UT accepta tibi sint, Domine nostra jejunia, præsta nobis, quæsumus, B. P. N. Augustini suffragiis, cujus natalitia prævenimus, purificatum tibi pectus offerre. Per Dominum nostrum.

Præfatio Communis.

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

SAncti P. N. Augustini Confessoris tui, atque Pontificis, cujus natalitia prevenimus, quæsumus Domine supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum.

Si Festum S. P. N. Augustini venerit Feria secunda, Missa de Vigilia dicitur in Sabbato: & tunc secunda Oratio erit de S. Zephyrino, tertia de S. Maria. Concede nos.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

IN FESTO S. P. N. AUGUSTINI, Episc. Conf. & Doct.

Dupl. 1. clas. cum Octav.

Introitus. Eccl. 15. d.

IN medio Ecclesiæ aperuit os ejus: & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus: stolam gloriæ induit eum.

Ps.

Ps. 91. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo, Altissime. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEUS, qui abditiora sapientiæ tuæ arcana B. Patri Augustino revelando, & divinæ charitatis flammas in ejus corde excitando, miraculum columnæ nubis, & ignis in Ecclesia tua renovasti: concede; ut ejus ductu mundi vortices feliciter transeamus, & ad æternam promissionis patriam pervenire mereamur. Per Dominum nostrum

Lectio Libri Sapientiæ. *Eccl.* 50.

ECce Sacerdos magnus qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curavit gentem suam, & liberabit eam à perditione. Qui prævaluit amplificare civitatem, & adeptus est gloriam in conversatione gentis: & ingressum domus, & atrii amplificavit. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi Sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloria, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis. Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne, Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide prætioso. Quasi Oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum in consummationem virtutis. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum. In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, & ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano: sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloria sua.

Graduale. Psalm. 36. Os justi meditabitur sapientiam: & lingua ejus loquetur judicium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur

gres-

gressus ejus. Alleluja, alleluja. ℣. Augustinus lux Doctorum, firmamentum Eclessiæ malleus hæreticórum, summum vas scientiæ, pro tuis filiis roga Deum, quæsumus.

Sequentia.

De profundis tenebrarum,
Lumen mundi exit clarum,
Et scintillat hodie.
Olim quidem vas erroris,
Augustinus vas honóris,
Datus est Ecclessiæ.
Verbo Dei dum obedit;
Credit errans, & adcedit
Ad Baptismi gratiam.
Quam in primis tuebatur,
Verbis, scriptis execratur.
Erroris fallaciam.
Firmans fidem, formans mores,
Legis sacræ perversores
Verbi necat gladio.
Obmutescit Fortunatus;
Cedunt Manes, & Donatus
Tantæ lucis radio.
Mundus marcens, & inanis,
Et doctrinis tumens vanis,
Per pestem hæreticam.
Multum cœpit fructum ferre,
Dum in fines Orbis terræ
Fidem sparsit unicam.
Monachalis vitæ formam
Conquadravit, juxta normam
Cætus Apostolici.
Sui quippé nil habebant
Tamquam suum, sed vibebant
In commune Clerici.
Sic multorum pro salute.
Diú vivens in virtute,
Tandem bona senectute
Dormivit cum Patribus.
In extremis nil legavit,
Qui nil suum æstimavit.
Imó totum reputavit
Commune cum Fratribus.
Salve gemma Confessorum;
Lumen Christi Vox cœlorum,
Tuba vitæ, Lux Doctórum,
Præsul beatissime.
Qui te Patrem venerantur,
Te ductore consequantur
Vitam, in qua gloriantur
Beatorum animæ. Amén.
Allelula.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.
Matth. 5. *d.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultrá, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas

abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit á lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Credo, *& per totam Octavam.*

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florebit; sicus cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur.

Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui præclaro sapientiæ lumine Beati Patris Nostri Augustini mentem illustrati, & sancti amoris jaculo ejusdem cor transverberasti: da nobis famulis tuis; ut illius doctrinæ, & charitatis participes effici mereamur. Per Dominum nostrum.

Præfatio propria, ut in fine hujus Codicis.

Communio. Lucæ. 12. Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

Postcomunio.

FOVE, Domine, familiam tuam muneribus sacris, quam cœlestis libamini recreasti: & ut solemnia S. Patris Nostri Augustini devoté concelebret, infunde lumen supernæ cognitionis, & flammam æternæ charitatis. Per Dominum nostrum.

Infra octavam, Missa ut in die, secunda Oratio de B. Maria: Concede. *Tertia:* Ecclessiæ, *vel pro Papa.* Deus omnium.

DOMINICA PRIMA INFRA OCTAVAM S. P. N. AUGUSTINI.

Festum Beatæ Mariæ Virginis de Consolatione, Societatis Cincturat. Patronæ. Duplex 1. cl. Missa. Salve

Sanc-

Sancta Parens: *ut in festo S. Mariæ ad Nives. 5. Augusti.* Credo. *Præfatio de B. Maria.* Et te in festivitat. *cum commemoratione Dominicæ, & Octav S. P. N. Augustin.*

SEPTEMBER.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

IN OCTAVA.

S. P. N. AUGUSTINI.

Duplex majus.

Missa ut in die, exceptis Orationibus.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Patrem Nostrum Augustinum Ecclesiæ tuæ in exponendis sacræ Scripturæ mysteriis Doctorem optimum, & electum Antistitem, providisti; da nobis, quæsumus, ejus semper doctrinis instrui, & oratione fulciri. Per Dominum nostrum.

Secreta.

DONIS cœlestibus, quæsumus Domine, libera nos tribue mente inservire: ut munera, quæ deferimus; intercedente Beato Patre Nostro Augustino Confessore tuo, atque Pontifice, & medelam nobis operentur, & gloriam. Per Dominum.

Postcommunio.

REpleti alimonia cœlesti, quæsumus Domine: ut interveniente B. P. N. Augustino Confessore tuo, atque Pontifice, misericordiæ tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dominum.

OCTOBER.

DIEi XI. OCTOBRIS.

TRANSLALIO PRIMA

S. P. N. AUGUSTINI.

Duplex.

Missa: In medio Ecclessiæ. *De Communi Doctorum cum Credo.*

ORATIO.

DEUS omnium largitor donorum, qui hunc diem B. P. N. Augustini Confessoris tui, atque Pontificis veneranda Translatione jucundas: quæsumus; ut ejus præcibus, nos de terrenis transferas ad consortia beatorum. Per Dominum nostrum.

Graduale. Psalm. 36. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquerur judicium.

℣: Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, alleluja.

℣ Augustinus lux Doctorum, firmamentum Ecclessiæ, malleus hæreticorum, summum vas scientiæ, pro tuis filiis roga Deum, quæsumus. Alleluia.

Secreta.

SAncti P N. Augustini Confessotis tui solemnia nos, quæsumus Domine, ubique lætificet: ut, dum ejus Translationem, & merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dñum.

Præfatio, ut in fine hujus Codicis.

Postcomunio.

QUæsumus omnipotens Deus: ut, qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente B. Patre N. Augustino Confessore tuo, atque Pontifice, per haec contra omnia adversa muniamur. Per Dñum. nostrum.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

IN FESTO

S. RAPHAEL. ARCHANG.
Protectoris, & Tutelaris Ordinis Nostri.

Duplex 1. clas. cum octava.

Missa ut in Missali Romano circa finem, seu inter Festa SS. Hispan. dicitur Credo, *& per totam Octav.*

Infra octavam eadem Missa, cum secunda Oratione de S. Maria: Concede. *& tertia* Ecclessiæ vel pro Papa.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

IN OCTAVA

S. RAPHAEL. ARCHANG.

Duplex.

Missa ut in die Festi, cum commemoratione Vigiliæ omnium Sanctornm de qua legitur Evangelium ultimum.

NOVEMBER.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

IN FESTO

TRANSLATIONIS S. P. N. JOANNIS DE DEO,

FUNDAT. NOSTRI ORDINIS.

Duplex 1. clas. cúm Octav.

Introitus *Isai.* 58. 7.

FRange esurienti panem tuum, & egénos, vagosque induc in domum tuam cum videris nudum operi: eum, & car-

carnem tuam ne despexeris.

Psalm. 40. 1. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEUS, qui charitas es, eamque super omnia præcipis: da nobis B. P. Joannis Confessoris tui meritis, cujus Translationem colimus, ita exemplis insistere, ut ejusdem charitatis tuæ flamma purgati, ad æterna gaudia feliciter perduci mereamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ beati Joannis Apostoli. 1. *Cap.* 3.

FRatres, nolite mirari, si odit vos mundus. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.

Graduale. Oseæ. 14. Justus germinabit sicut lilium: & florebit in æternum ante Dominum. ℣. *Psalm.* 8. Gloria, & honore coronasti eum Domine. Alleluja, Alleluja.

℣. *Psalm.* 73. & 76. Pauper, & inops laudabunt nomen tuum, Joannes: fecit Deus mirabilia in charitate tua. Alleluja.

Et sic dicitur in Officio per annum, & in Missis votivis, præter Orationes.

Tempore Paschali quando fit Officium per annum, & in Missis votivis.

Alleluja, Alleluja, ℣. *Psalm.* 73 & 76. Pauper, & inops laudabunt nomen tuum, Joannes: fecit Deus mirabilia in charitate tua, Alleluja.

℣. *Ps.* 20. Posuit Dominus in capite tuo coronam de lapide pretioso. Alleluja.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 10.

IN illo tempore: Quidam Legisperitus surrexit tentans Jesum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omnibus mente tua, & proximum sicut te ipsum. Dixitque illi: Recte respondisti, hoc fac, & vives. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Jesus dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jéricho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet ad eum via, & viso illo, præterivit. Similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est, & appropians, alligavit vulnera ejus. infundens oleum, & vinum, & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit: & altera die protulit duos denanos, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac similiter. Credo, *& per totam Octavam.*

Offertorium. Ephes. 5. 12.

AMbulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.

Secreta.

OBlationem nostram, quæsumus Domine, suscipere digneris, nobisque peccata indulge, intercedente B. P. Joanne Confessore tuo, cujus gloriosa Translatione lætamur. Per Dominum.

Communio. Lucæ. Cap. 6.

MUltitudo languentium veniebat ad eum, & curabat omnes.

Post-

Postcommunio.

EOdem nos, Deus, per hæc Sancta, quæ sumpsimus, igne purifica, quo beatum Patrem Joannem voluisti indesinenter accendi: ut ejus semper inflammemur exemplis, cujus Exuviarum Translationem veneramur. Per Dominum nostrum.

S. Rituum Congreg. concessit, ut hæc Missa propria ab omnibus Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, ad nostras Ecclesias eadem die 28 confluentibus legi, ac celebrari possit. Die 5. Septemb. 1746.

Infra octavam, dicitur eadem Missa cum secunda Oratione: Concede. *& Tertia*: Ecclessiæ, tuæ, *vel pro Papa.*

DECEMBER.

DIE V. DECEMBRIS.

In Octava Translationis.

Duplex.

Missa ut in die, cum commemoratione Feriæ. Credo.

✠ De Missis *in Officiis Hebdomadariis.*

De SS. Sacramento: *Prout ponitur in Missali Romano inter votivas, in qua non dicitur Sequentia, nec Credo.* Orationes *vero pro diversitate temporis ut fit in semiduplicibus.* (Rubr. Missal. Rom. tit. 9. de Oration.) *Præfatio* de Nativit. Dñi.

De Immaculata Concept. B. M. V. Missa ut in ejus Festo 8. Decembris, secunda oratio erit de *Spiritu Sancto.* Deus, qui corda. Tertia Eclesiæ, vel pro Papa. *Si occurrat fieri commemoratio alicujus Sancti simplicis, ponitur secundo loco, & tertio* Eccles. Præfatio de B. M. V. & te in Conceptione.

De S. P. N. Joanne de Deo, ut in die 8. Martii, cum Graduale de Missa Translationis. 28 Novemb. & in Tempore Paschali, ibidem.

Post Septuagesimam, omisso Alleluja, & ℣. sequenti, dicitur Tractus, *ut in dicta die 8.*

De S. Jacobo Apost. Hispaniarum Patrono, ut in die ejus 25 Julii. Orationes de tempore, & Præfatio de Apostolis.

Post Septuages. Tractus, ut in Festo SS. Quadrag. MM. 10 Martii.

Tem-

Tempore Paschali.

Ut in Festo S. Marci 25. Aprilis, exceptis Orationibus, Epistola, & Evangelio.

✠

Sequens Præfatio dicitur in Festo S. P. Augustini, & per Octavam; ac in ejus Conversione, necnon in Prima, & Secunda Translatione.

℣. Per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum, & justum est.

Veré dignum, & justum est, æquum, & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere: Domine Sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus. Quia vas electionis tuæ, & lux Doctorum meliflus Augustinus, toto terrarum orbe radio miræ claritatis infulsit; & Ecclesiam Sanctam Fidei Orthodoxæ, veré Augustinus illustravit: destruxit hæreses: errores: repulit: hæreticosque prostravit: ac status fidelium universæ christianæ vitæ, Augustinus moribus decoravit. Clericos docuit: laicos monuit: devios in viam veritatis reduxit: cunctorumque conditionibus salubriter previdendo, tuam in hoc mari naviculam Augustinus provide gubernavit. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cumque ommia militia cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes.